

PRÆFATIO GEORGI FRANCI.

Renovato p. m. 1047. a. Idem ALDROVANDUS cum ipsius Sanitatis Dispensario adeo sagaci oculorum & mentis venatura cognitioni rerum naturalium incubuit, ut referente PETRO CASTELLANO, Antwerp. Med. in Illustr. Medic. vitis pag. 251. in Senectute oculorum lumine Lumen hoc literarium orbatum fuerit. Is, ut ipse fatetur in Præfat. de Historia Avium, non solum ingentem pecuniæ vim in varias peregrinationes in diversas Orbis regiones infumisit, sed & ob delineationem unico pictori per XXX. annos & amplius annum ducentorum aureorum stipendium persolvit, ceu refert Celeberr. P. J. SACHS in Gammarologia cap. i. p. m. 10. Conf. quoque Illustr. JOH. DAN. MAJORIS, Medici elegantissimi juxta ac curiosissimi, Amici nostri magni unvorgreiflich Bedencken von Kunst- und Naturalien-Cammern Cap. 2. §. 2.

Verum cum istud onus, quod sponte sua humeris suis imposuit laudatissimus Vir, non unius esset hominis, siquidem ē βίᾳ βραχὺς, ή δὲ τέχνη μαχρή, gravissime pronunciante Coo: Ideo alias Viros doctissimos in laborum partes pertraxit. Hos inter maxime nobis nominandus venit multipliciis eruditionis laude præclarus Vir, DN. OVIDIUS MONTALBANUS, Utriusque Collegii Philosophiæ & Medicinæ Bononiensis Decanus, Legumque Doctor, atque in patrio Archigymnasio Professor Emeritus, qui *Dendrologia* nomine opus præsens insignivit, summoque labore ad perarduam *Aldrovandæ Methodi* normam collegit, digessit & concinnavit, quippe quèm non solum Sacra Themis & Astræa liberali, ut Ipsus in Introductione fatetur, complexæ sunt favore, sed & Jatria, ita ut Herbariæ rei genialis ejus amor longum per Quinquaginta annos curriculum sæpe diverterit, & omnis generis eruditiones a scientificorum quorumque doctioribus monumentis diligentissime conquisiverit. Verum cum multi sint, qui nihilominus elegantiores Musas amant & colunt, quibus Græca nomenclatio non statim illud repræsentet, quod in se continet, ideo factum est, ut liber utilissimus, & cornu quasi Amaltheæ πολυμαθείας fuerit neglegetus, ac tineis & blattis in prædam cesserit. Quare nos Vir Præclarissimus atque Doctissimus Dn. ALBERTUS OTTO FABER, Illustris Francofurt. Gymnasii Collega meritissimus, & præstantissimus Bibliopola decenter rogavit, ut nostra præfatione rem enucleate proponeremus; cuius honestæ petitioni refragari nefas duximus. Laborem igitur suum suo restituimus Auctori, doctissimo MONTALBANO, qui utinam promis- sis potuisset stare, & tria illa edere volumina; In PRIMO quorum *tripartito* in Silvam scilicet glandariam, in Pomarium [hæc duo saltim hæc expressa habemus] & in Olivetum, de Alphiteis, hoc est, farinosi fructus arboribus; in secunda partitione mox de potomiis, & successive in tercia (utor verbis Auctoris) de Elæophoribus, quæ in suas singulæ in proprio genere speciales species distinguendæ, atque in eruditionum variarum rubricas subdividendæ: In SECUNDO autem volumine Arborum lacrymantium, spinosarum & miscellarum: In TERTIO atque postremo de Suffruticibus, atque Herbis simpliciter & proprie dictis exaratæ historiæ. Nihilominus in Silva hac glandaria & acinofo pomario, instar lancis saturæ, eruditionis mira deprehenditur varietas! Offendemus nimirum doctrinas